

bus solidus & stabilis, firmiter insistens quaquauersum ceciderit, quia longitudinem latitudinem & profunditatem habeat. Atque de his omnibus, quis obsecro uel doctius, uel accuratius, uel diligentius nostro hoc Archimede tradidit? Sunt hodie non pauci, qui hæc studia magno cum honore sequuntur, dignique habentur, quibus uel statuæ, ad immortalem studiorum suorum memoriam erigantur. quales potissimum nostra etiam secula uiderunt, Ioannem Stofflerum Sueuū, Ioannem Schoenerum Carolo stadium amicum, & in Mathematicis studiis præceptorem unicè mihi dilectum; Bilibaldum quoque Pyrkheymerum, uirum præclaris rebus obeundis consultissimum: ac paulo ante hæc tempora humanis exutum curis, Simonē Grynæum, uirum ex æquo & doctum & pium, cuique hoc unum deerat, quod in tanta diuinarū humanarūque rerū cognitione minimè esset inflatus. Christianum quoque Herlinum, Argentinensem Mathematicum, uirum longè doctissimum, hoc loco uel in primis ac iure celebrandum puto, quippe cui non solum bonarum artium studiosi, sed & ipsi Archimedis nostri manes plurimū debent, quod in hocce libros, quo cum emendatiores, tum elegantibus typis illustriores prodirent, studium haud leue impendit. Philippus Melanchthon uero hodie purioris literaturæ, ac seuerioris philosophiæ uindex, cum Ioachimo Camerario Franco, ac altero item ciue meo Ioachimo Rhetico, quid non salutaris operæ insumit, ut quàm latissimè odorem suum diffundat recta studia; De affine nostro Achille P. reconditarum artium studioso, in primis uero Astrologiæ ac Medicinæ suprâ quàm dici queat perito, hoc parcius hic sum dicturus, quo scio illum esse modestiorem, quàm ut laudes nostras in se agnoscere uelit ullas, cum sit alioqui maximis laudibus dignus. Ioannem à Regiomonte olim ut extra communem mortaliū aleam posuit natura, ita mundus hic, in Mathematicis disciplinis, maiorem an habuerit in aliquot retro sæculis, dubitare ausis. Is Rhomæ agens, paulo post captâ, ac crudelissime direptam à Turcis Constantinopolitanâ ciuitatem: cum iam literatæ literæ, bonis auspicijs, tanquã ex fuga & tempestate seruata, in Italiam essent illata: is, inquam ego, primæ uocationi suæ in Italiam ultro obsequens, ut amplissimam nominis suæ famam est consequutus, ita ex Constantinopolitana clade ereptos Græcos libros & uidit plurimos, & descripsit non paucos articulis proprijs. Inter alia autem Archimedis libros, de sphaera & cylindro, de circuli dimensione, deque alijs rebus non tam utilibus quàm necessarijs mortalium generi, ueluti palàm est legere in istis libris, quos Iacobus Cremonensis uir ea tempestate duplici honore dignus, cum quod Græcè doctus esset, tum quod linguarum commercio adiutus, hanc operam solus uideretur absoluere posse, in gratiam Nicolai V. Rom. Pont. iam pridem Latinos fecerat: oblatos sibi ab amicis diligentissimè descripsit, adiectis non rarò in marginibus, Græcis (quod etiam Græcorum codicum facta fuisset sibi